



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. An in potestate Thesaurii vel Sacristæ sit de rebus ad Sacistiam
vel Fabricam Ecclesiæ pertinentibus disponere independenter ab
Episcopo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

Unde allegata in contrarium Juris ob contrariam consuetudinem pro abolitis habenda sunt in Germania, Rationes verò stringere cessant, ubi exercitium horum munerum ab aliis, tanquam substitutis, ritè suppletur.

TITULUS XXVI.

De Officio Sacristæ.

DECISIO XXVI.

De Thesaurario circa sacram suppellectilem & redditus ad Fabricam Cathedralis Ecclesiæ pertinentes disponere sine Episcopi consensu attentante.

SPECIES FACTI.

Qui ex Canonicis ad id constitutus est in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ut rerum sacrarum, vasorum, & vestimentorum ad officia Divina spectantium, reddituum fabricæ, totiusque thesauri Ecclesiastici custodiam habeat & curam, in hoc titulo *Sacrista*, in quibusdam Ecclesiis autem ex recepto usu *Thesaurarius* salutatur. Contigit

autem in Ecclesia collegiata G. sub titulo *Assumptionis*, ut Thesaurarius, cui cura Sacristiæ, rerum sacrarum & reddituum fabricæ Ecclesiæ commissa erat, hos redditus pro libitu & irrequisito Episcopo tanquam Superiore distraheret, sacrasque suppellectiles & ornamenta distraheret. Quapropter agitari cepit

QUESTIO.

An in plena potestate præfati Sacristæ vel Thesaurarii fuerit disponere independenter ab Episcopo de rebus ad Sacristiam vel Fabricam Ecclesiæ pertinentibus?

Ita equidem visum est S. Congregationi, quæ in favorem Sacristæ & Capituli dictæ Ecclesiæ Collegiatae decisionem fecit partim propter *c. re-latum* 12. de *Testam.* ubi Capitulis, con-

sequenter & iis, qui à Capitulis constituuntur Sacristæ vel Thesaurarii, tribuitur administratio bonorum omnium Ecclesiæ acquisite cum exclusione Episcopi: partim propter particula-

cularem Bullam Erektionis dictæ Ecclesie in Collegiatam, per quam administratio bonorum, & reddituum Ecclesie & Sacrifia delata est Canonicis & Capitulo illius, *Dioecetani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita.*

Verum hæc decisio S. Congregationis fuit postmodum reformata, & pro Episcopo decisum teste Emerix *decif. 1083.* non tantum ex Jure Communi; quia pro administratione bonorum Fabricæ Episcopus habet assistentiam generalem Juris, & fundatam intentionem. *can. 3. 5. 6. caus. 10. q. 1. Trid. S. 22. c. 9. de ref. Et s. 24. c. 3. de ref. Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 198. Barb. ad Conc. Trid. S. 22. c. 9. n. 5. de Ref.* Sed etiam ex particulari hujus Ecclesie antiquissima consuetudine, vi cujus, ut patuit ex redditionibus rationum, ac ipsa etiam Canonicorum confessione per publicum instrumentum facta, Episcopus administrationem bonorum, de quibus est quæstio, semper habuit: cujusmodi antiquissima consuetudo pro lege servari debet, *text. in l. 1. ff. §. fin. de aq. plu. arc.*

Ad prioris decisionis fundamenta sic responsum est, Ad I. Quidem, quod in *d. c. 12.* sit sermo de bonis ac redditibus ipsius Capituli seu Men-

sa Capitularis, non de bonis ipsius Ecclesie, vel ad fabricam ejus ordinatis, atque à mensa Capitulari separatis. Ad II. Quod pariter de ipsius Capituli, seu Capitularis mensæ bonis locuta sit Bulla Erektionis, quia permittit, vel supposuit, illa bona & fructus fuisse convertibiles in propriam Canonicorum utilitatem, quod de bonis & redditibus Ecclesie & Sacrifia non procedit; hæc autem bona & redditus Ecclesie jam antecedenter voluerit remanere, ut prius, præter Erektionis bulla; cum igitur subsequens dispositio loquens de fructibus generaliter, & genus non derogat speciei, de qua jam peculiariter est provilum. *c. 1. de Rescr. c. studij. de off. Legati.* ideo bona & redditus Ecclesie vel Sacrifia manserunt sub dispositione Juris Communi, & per bullam citatam jam antecedenter & peculiariter facta, nimirum ut non sine consensu Episcopi possint erogari & dispensari. Interim si in aliqua Ecclesia, uti forte in pluribus datur, reperiatur consuetudo legitime introducta, ut Thesaurarius de bonis mobilibus & redditibus Ecclesie vel Sacrifia disponat irrequisito Episcopo, in suo vigore relinqui, & observari potest.

